

**Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

**Articuli, de quibus egerunt visitatores in regione  
Saxoniae**

**Melanchthon, Philipp**

**[Wittenberg], 1527**

De sacramentis

[urn:nbn:de:bsz:31-93298](#)

**E**s autem duplex timor dei. Quidam est sine fide credente , quod Deus misereatur nostri , & recipiat nos in gratiam , sicut Satanus timet deum. Et quanquam credat Euangeli historiam , tamen non credit sibi ignosci . Adeò huc pertinet , quod Iacob ait: Dæmones credunt & contremiscunt . Hic timor uocatur seruialis . Alius timor , confidere , ubi cor terretur , & tum fides erigitur , & credit sibi ignosci , & placatum esse deum. Taliter sentiunt & exercent sese timor & fides , nec otiosæ sunt cogitationes animi , sed necesse est reuera perhorrescere animos timore , & postea iterum reuera per fidem consolationem & gaudium accipere. Hic timor uocatur filialis , de quo dictum est : Deum time , & mandata eius serua , &c. hoc est , omni homini timenti deum , non deerit omne bonum.

#### DE SACRAMENTIS.

Baptismus , est signum poenitentiae . Si cat enim immersimur aqua , sic oportet mortificare ueterem hominem , id est , contemnos . Ideo habemus in Euagelio praedictum

B 5 dica

dicationem pœnitentiae: Agite pœnitentiam, quia appropinquat regnum cœlorum. Item habet adnexam promissionem: Qui crediderit & baptizatus fuerit, saluus erit. Doceant igitur effectum baptismi per omnem uitam debere durare, hoc est, semper nos debere pœnitentia agere, & simul credere, quod deus uelit nobis ignoscere. Et sæpe admoneat huius baptismi populus.

Item caueant admittere rebaptizatiōnem, quia prior baptismus paruolorum improbari non potest, sicut nec circuncisio paruolorum. Et circuncisio & baptismus sunt eiusdem rei signum. Nec ualeat argumentum, paruulos nondum habere rationem, ideo nec fidem posse habere, quia deus agit in eis, etiam si ratione non utantur, sicut appetet de circumcisione: Ego ero deus eorum. Item: Sinite paruulos ad me uenire.

#### EVCHARISTIAE SIGNVM.

Primum sic doceant, iuxta uerbum Christi esse cum pane uerū corpus Christi, cum calice uerum sanguinem, quia dominus